

licita : si enim graviter illicita esset, eam per adjurationem petens graviter peccaret; si leviter esset mala, eam petens venialiter peccaret, juxta *Salmanticenses, Sporer, Suarez, Bonacina, Sanchez, etc.*, et mortaliter juxta *Elbel*, quem *S. Ligorius* citat et sequitur, quia gravis videtur irreverentia alterum per adjurationem Dei ad rem malam inducere; 3^o judicium, id est conveniens discretio, qua deficiente, adjuratio est peccatum veniale, et non ultra, ait *S. Ligorius*, Appendice de Adjur., l. 3, post n. 183.

6^o Dæmones nunquam adjurari possunt modo deprecativo, quia fieret cum ipsis associatio omnino prohibita, I Cor. x, 20 : *Nolo vos socios fieri dæmoniorum*; sed duntaxat modo imperativo, ad amovenda damna ab eis illata vel inferenda. Hinc communiter dicunt auctores a culpa gravi excusari non posse qui cum dæmone obsidente inutiles habet sermones, et aliud ab eo quærit quam quod ad ejus expulsionem conducit.

ARTICULUS TERTIUS.

DE VOTO.

Votum, secundum vim nominis, plures habet significationes : scilicet 6^o sumitur pro desiderio vel proposito, ut in Prov. xxxi, 2 : *Quid dilecte votorum meorum?* et in Canone missæ, *Tibique reddunt vota sua*; quo sensu dicitur Baptismus in voto, id est in desiderio; 2^o accipitur pro suffragio in electionibus, in conciliis et in aliis cœtibus deliberantibus; 3^o significat promissionem Deo factam. De voto sub hoc respectu accepto nobis disserendum est, et illud cum omnibus theologis definimus : *Promissio deliberata Deo facta de meliori bono.*

Dicitur 1^o *promissio*, id est, sincera voluntas se obligandi; et sic votum essentialiter differt a proposito, quia propositum quantumvis firmum, vinculum obligationis non producit, et illius omissio non est peccatum, nisi propter animi inconstantiam, tædium aut negligentiam, et tantum est veniale peccatum.

Dicitur 2^o *deliberata*, quia promissio subita et inconsi-

derata ad rationem voti non sufficeret : tanta requiritur advertentia, libertas et voluntatis consensus, quanta est necessaria ad peccandum mortaliter. *Ita communiter doctores.*

Dicitur 3^o *Deo facta*; sola enim promissio Deo facta rationem voti habet et nomen retinet, secundum omnes Patres et doctores, theologos et canonistas. Unde promissiones B. Mariæ et Sanctis factæ non sunt vota, nisi quatenus primario factæ sunt Deo in honorem Sanctorum, vel coram Sanctis ut testibus, advocatis et intercessoribus. Unde qui vovet capellam vel statuam B. Mariæ, censetur eam vovere Deo in honorem B. Mariæ, et sic de cæteris.

Dicitur 4^o *de meliori bono*, quia promissio Deo facta non est valida nisi a Deo acceptetur : Deus autem acceptare non potest, ut sibi gratum, actum malum vel indifferenterem. Unde votum nubendi, saltandi, ludendi, ambulandi, etc., esset nullum, nisi forte aliqua speciali circumstantia efficeret ut talis actus respectu alicujus individui melior esset opposito, v. g., susceptio prolis ad bonum publicum, deambulatio propter sanitatem.

Votum multipliciter dividitur, nempe :

1^o *In reale, personale et mixtum.* Reale est illud quo aliquid in se subsistens a persona distinctum promittitur, v. g., calix, statua. Personale est illud quo actio duntaxat promittitur, v. g., jejunium, castitas. Mixtum rem et actionem simul complectitur, v. g., votum visitandi ecclesiam Loretanam et ibi calicem offerendi.

2^o *In temporale*, v. g., servandi castitatem per quinque annos, et *perpetuum*, puta, nunquam bibendi vinum per totam vitam.

3^o *In explicitum*, quod positivis verbis exprimitur, et *implicitum*, quod actioni libere factæ annectitur, ut votum castitatis susceptioni subdiaconatus ordinis annexum.

4^o *In absolutum, conditionatum et pœnale* : absolutum a nulla conditione pendet, ut votum jejunandi, coronam recitandi, castitatem servandi; conditionatum illud est quod sub aliqua emittitur conditione, v. g., puella vovet religionis ingressum si a tali periculo liberetur, vel tot

jejunia aut tales preces si mater sanitatem recuperet; pœnale illud est quo aliqua vovetur pœna pro tali peccato subeunda, v. g. : Tot asses distribuero pauperibus quot verba blasphemiae protulero.

5° In *solemne et simplex*. *Votum solemne* est illud quod per ipsam professionem emittitur in religione ab Ecclesia approbata tanquam perfecte regulari; *simplex* vero est illud omne cui saltem una ex his conditionibus deest. Juxta communissimam et veram sententiam votum solemne a voto simplici ex natura sua non differt, sed tantum ex jure canonico. Tota igitur solemnitas voti a voluntate Ecclesie pendet. Ecclesia autem hanc solemnitatem non constituit in quodam ritu externo: ritus qualiscumque est omnino accidentalis. *Votum solemne et votum simplex* maxime effectu distinguuntur: votum enim solemne, ex voluntate Ecclesie, matrimonium et actus dominii per se ipsum irritat, id est efficit ut tali voto ligati nulliter contrahant; alii vero illiciti, sed valide, nisi aliter statuerit Ecclesia ut de facto statutum est pro religiosis e societate Jesu, qui prima emittunt vota.

Ultimam hanc divisionem præcipue attendentes, præsentem articulum in duobus dividemus paragraphis, quorum primus erit de voto in genere, et secundus de voto solemnium seu de statu religioso.

§ I. — De voto in genere.

Dicemus 1° de materia voti, 2° de ejus obligatione, 3° de ejus merito, 4° de illius interpretatione, et 5° de obligationis ejus cessatione.

SECTIO PRIMA. — De materia voti.

1° *Materia voti* debet esse possibilis, non tantum physice et absolute, sed moraliter et respectu voventis; votum enim est promissio Deo facta cum intentione se obligandi: nemo autem se obligare potest ad aliquid sibi moraliter impossibile. Hinc invalidum est, in sua generalitate, votum nunquam peccandi, quia, attentata fragilitate nostra,

moraliter impossibile est nos vitare omnia peccata etiam venialia, nisi speciali auxilio Dei muniamur. Sed valeret votum omnia peccata mortalia vitandi, vel quædam venialia determinata, v. g., non mentiendi, ex vana gloria non loquendi, etc. Item validum esset votum nullum patrandi peccatum veniale cum plena deliberatione, quia cum auxilio Dei ordinario peccata venialia ex deliberatione perfecta vitari possunt. Ita *Suarez*, *Layman*, *Sporer*, *Ferraris* et *S. Ligorius*, contra *Salmanticenses*, *Sanchez* et alios.

S. Ligorius, l. 3, n. 203, non videtur approbare votum semper agendi quicquid intelligitur perfectius, referendo *S. Theresiam* tale emisisse votum ex speciali Spiritus sancti instinctu.

2° Si materia voti sit partim possibilis et partim impossibilis, et aliunde divisibilis, nec alia fuerit intentio voventis, pars possibilis facienda vel præstanda est: quia, juxta regulam 37 juris canonici, *utile non debet per inutile vitari*: sic qui vovit dare mille fr. pauperibus, et non potest dare nisi centum, hos dare tenetur; qui vovit jejunare per hebdomadam, et jejunare non potest, ad partem possibilem tenetur. Contra vero, si materia vel actio dividi non possit; qui non potest totum, ad nihil tenetur, licet materia sit absolute divisibilis, si ex communi hominum sensu vel ex intentione voventis per modum unius apprehendatur; v. g., qui vovit peregrinationem nudis pedibus et in cilicio, si peregrinatione valide impediatur, eo die nudis pedibus et cum cilicio ambulare non tenetur; quia, ex regula 42 juris, *accessorium naturam sequi congruit principalis*.

3° *Materia voti* debet esse moraliter bona, ut jam notavimus: unde opus lege naturali, divina vel humana prohibitum voveri non potest, et si voveretur, nullum esset votum. Idem invalidum est votum ad impetrandam rem illicitam emissum, v. g., ad sumendam injustam vindictam, ad capessendam vanam gloriam, ab obtinendum impudicum puellæ amplexum, etc. Vovere rem impossibilem, vel indifferentem, vel impeditivam melioris boni, non videtur per se excedere culpam venialem. At lethale est

vovere rem mortaliter malam, imo et probabilius vovere rem venialiter malam. Valeret autem votum ex affectu ad rem bonam factum, licet ex causa vel occasione pessima; v. g. : Voveo peregrinationem, vel jejunium aut eleemosynam, si ex duello evasero salvus, quia licet mala interveniat causa, ea posita, petere incolumitatem est quid bonum.

4^o Votum debet esse de re sua vel de opere proprio et non alieno; nullus enim rem vel actionem alienam valide promittere potest. Hinc nulla sunt vota parentum filios aut filias tali devoventium religioni, vel talem obligationem, v. g., certis diebus jejunandi, a carnibus abstinendi, missæ assistendi, talem capellam visitandi, familiæ suæ imponentium: hi autem descendentes votis prædecessorum suorum non obligantur, nisi ea approbaverint. Ita pariter si communitas aliqua, ut monasterium, civitas, parochia voveat in perpetuum jejunia, processiones aliasve solemnitates; soli personaliter voventes tali voto ligantur; successores vero stricte non obligantur, nisi ratum habuerint votum. Unde in locis ubi quædam observantur festa ex votis antecessorum, *nullus est poena cogendus*, inquit Ferraris, v^o *Votum*, art. 1, n. 33, *ut illa die abstineat ab operibus servilibus*.

5^o Opera præcepta materia voti esse possunt, quia nihil obstat quominus res eadem ex diversis titulis debeatur; hinc unusquisque vovere potest se non fornicaturum, se turpia non dicturum, se in quadragesima jejunaturum, etc., et si rem sic promissam omittat, peccabit contra præceptum violatum et contra religionem.

SECTIO SECUNDA. — De obligatione voti.

1^o *Hæreticum est asserere votum non obligare*, inquit S. Th., Quodlib. 3, art. 12. Hæc enim obligatio constat 1^o ex Scriptura sacra, Deut. XXIII, 21: *Cum votum voveris, non tardabis reddere, quia requirit illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum*; Eccle. v, 3: *Si quid vovisti Deo, ne moreris*

reddere: displicet enim infidelis et stulta promissio; sed quodcumque voveris, redde. 2^o Ex S. Aug., Epist. 127, n. 5: « Quia vovisti, jam te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. » 3^o Ex ratione: promissio homini serio facta, stricte obligat: ergo a fortiori et promissio facta Deo cum intentione se obligandi. Ergo.

2^o Obligatio voti est sub peccato mortali in materia gravi, ut omnes fatentur: materia autem judicatur gravis si, ex circumstantiis, ad honorem Dei vel ad proximi aut votentis utilitatem notabiliter conducat, et talis sit ut si ab Ecclesia præciperetur, obligaret sub mortali. Hinc votum semel jejunandi, missam audiendi, peccata confitendi, etc., obligat sub peccato mortali in iis circumstantiis in quibus lex ecclesiastica hæc præcipiens sub mortali obligaret.

In materia vero levi, votum obligat tantum sub peccato veniali, sicut lex in materia levi. *Ita omnes.*

3^o Sicut autem legislator rem gravem præcipere potest sub levi, ut communiter docent theologi, ita et vovens ad rem gravem sub peccato veniali tantum se obligare potest, si expresse velit. Nec obstat quod religionem profitendo, matrimonium ineundo, rem gravem sub juramento promittendo, sub veniali tantum se obligare non possit; nam in professione religiosa et in matrimonio adest contractus grave onus alteri imponens, et repugnat ipsum non similiter graviter obligari: in juramento Deus invocatur ut testis; porro gravis irreverentia Deo inferretur, si promissio sic jurata non servaretur, idque independenter ab intentione jurantis: non valet igitur paritas.

Si vero rem gravem vovendo, limites intentioni suæ non assignat expresse, secundum naturam rei, ac proinde sub mortali se obligasse censetur.

4^o Vovens se obligare non potest ad rem levem sub peccato mortali, quia materia levis tantæ obligationis non est capax, ut diximus loquendo de obligatione legis: ad constituendam obligationem gravem duo requiruntur, materia gravis et intentio, quarum si una defuerit, obligatio erit levis. *Ita generaliter doctores.*

At inter eos quaeritur an materiae leves coalescere et materiam gravem efficere possint. Distinguitur : vel materiae leves voventur separatim, v. g., quinque asses singulis diebus dominicis in elemosynam, ad sanctificandam diem ; vel per modum unius voventur ; v. g. : Centum fr. voveo pauperibus singulis diebus dominicis distribuendos per annum ; in priori casu, omissiones quatumvis multiplicatae materiam gravem non efficiunt ; efficiunt vero in posteriori, *ut patet*.

5° Votum personale ab ipso vovente impleri debet, et ad ipsius haeredes non transit ; sed votum reale per alias personas impleri potest ; rem ipsam afficit, eam sequitur et ad haeredes transit, sicut transiret onus tradendi rem alicui promissam modo vere obligatorio. *Est sententia communis*.

6° Vota mixta, ex parte qua sunt realia, transeunt pariter ad haeredes ; hi tamen in utroque casu non obligantur ultra vires haereditatis, et tantum post soluta necessaria aut privilegiata ; nempe primo solvendi sunt sumptus judiciales funeris et ultimi morbi, stipendia domesticorum pro anno nuper elapso et anno currente, debita pro cibis a sex mensibus minutatim emptis, alia stricte debita, portio honorum ascendentibus vel descendentibus a lege reservata. Deinde solvenda sunt vota ante quaelibet alia legata, ut communiter tradunt auctores, ait *Ferraris*, art. 1, n. 50, quia, in liberalibus, quae Deo promissa sunt praeferi debent. Si plura sint vota, et bona relicta, alieno aere deducto, ad omnibus satisfaciendum non sufficiant, non unum praeter aliis impleri debet, sed singula ex parte, servata proportione, solvenda sunt, sicut, in eodem casu, solverentur legata ; cum enim ex eadem virtute religionis debeantur, nulla est ratio cur unum aliis praeretur.

7° Votum conditionale manet suspensum donec impleatur conditio, quae si non adveniat, erit nullum ; ea autem adveniente, transit in absolutum. *Sic omnes*, et apertum est. At si vovens per fraudem, vim, dolum, preces aut quaecumque media, ex motivo non rationabili provenientia, malitiose impediatur ne conditio adimpleatur,

ut voto non obligetur, graviter peccat et probabilius ad votum tenetur aequae ac si conditio revera fuisset impleta ; nam votum emittendo, implicite se obligavit ad non impediendum conditionis eventum, et eventus sic malitiose impeditus censetur existens. Ergo. Ita *Ferraris*, n. 53, et plures apud ipsum.

8° Votum poenale stricte obligat, ex hypothesi quod culpa existat ; secus, nullum parit vinculum. Unde qui vovit jejunium quoties inebriaret, si se inebriavit, jejunare tenetur ; si se non inebriavit, ad nihil tenetur. Qui vovisset se toties daturum asses pauperibus quoties sanctum Dei nomen blasphemando proferret, singulis omissionibus totidem committeret peccata, sed tantum venialia ; quia objectum voti non est blasphemia, sed asses pauperibus erogandi, qui in unum non coalescerent ad constituendum objectum grave.

9° Si votum sit temporale, vel tempus est determinatum ad finiendam obligationem, ut jejunandi in Quadragesima aut in vigilia patroni, et, tempore elapso, non obligat votum etiam culpabiliter omissum : si vero tempus fuerit determinatum ad urgendam et non finiendam obligationem, v. g., votum dandi pecuniae summam intra tres menses, tribus mensibus elapsis, nihilominus solvenda est summa et quamprimum. Si nullum praefixum fuerit tempus, votum obligat quamprimum moraliter, sicut lex aut praecipuum, alioquin magis ac magis sine peccato differri posset, et sic de facto non obligaret. Unde *Deut. XXIII, 21 : Et si mortuus fueris, reputabitur tibi in peccatum*.

10° Omittere sine causa votum in materia gravi, tempore determinato fixum, propter circumstantiarum temporis, v. g., votum jejunandi in vigilia patroni, sacram synaxim suscipiendi in die Assumptionis, est peccatum mortale, quia haec temporis circumstantia ad substantiam voti pertinet, siquidem, tempore elapso, votum non obligat. At si tempus determinatum fuerit tantum ad urgendam obligationem, aut si nullum tempus fuerit determinatum, dilatio per longum tempus, vel cum periculo

votum obliviscendi, aut cum notabili illius imminutione, puta, si ageretur de ingressu religionis, de Ordinibus suscipiendis, de missa quotidie audienda, esset peccatum mortale, nisi rationabilis causa eam excusaret. Talis enim dilatio, sine rationabili causa, in executione promissionis homini factæ, reputaretur gravis. Ergo *a fortiori*, etc.

Si vere absit periculum oblivionis et impossibilitatis executionis, v. g., ob senectutem, et votum per temporis spatium non minuatur, quale est votum ad domum Lauretanam peregrinandi, mille francos in eleemosynam semel erogandi, longa dilatio, sine causa, non est peccatum mortale. Sic expresse *Ferraris*, art. 1, n. 66, et in responsione ad notam theologi Romani, aliique plures apud *S. Ligorium*, l. 3, n. 221. Verum talis dilatio sine causa est saltem valde periculosa, et *S. Ligorius* cum aliis pluribus arbitratur illam, si ultra duos vel tres annos protrahatur, sine justa causa peccatum esse mortale.

SECTIO TERTIA.— De voti merito.

1^o *Lutherus* et *Calvinus* dixerunt vota esse bona secundum se; facta ad vitandum peccatum, ad pietatis vel charitatis officia expeditius obeunda, esse licita: facta vero de rebus non præceptis, ex motivo colendi Deum, ut sunt monachorum et monialium vota, esse illicita et impia, ut pote libertati Christianæ opposita, sanctosque Bernardum, Dominicum, Franciscum et alios esse damnatos, nisi vota emiserint causa alicujus commoditatis, v. g., ut ab uxoribus et rerum temporalium molestiis essent liberi, non vero ut Deo gratiores essent.

2^o Verum 1^o *B. Paulus*, I *Tim.* v, 12, dixit de viduis quæ continentiam voverant Christo, et nubere volunt: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, id est, eas damnatione esse dignas quia fidem datam Christo non servant. 2^o Concilium Eliberitanum, circa tempus concilii Nicæni I celebratum, statuit, can. 13, virginibus « quæ se Deo dedicaverunt, si pactum virginitatis » perdiderint, atque libidini servierint, non intelligentes

» quid amiserint, nec in fine dandam esse communionem. » 3^o Patres et doctores hoc in puncto sunt unanimes, et constans fuit Ecclesiæ praxis ac doctrina: ergo, etc. Unde libertas Evangelii est libertas a peccato, non autem libertas a lege, a præcepto aut a vinculo quod fideles majoris perfectionis causa voluntarie sibi imponere possunt.

3^o Votum igitur non est tantum in se bonum et honestum, sed est actus religionis; actus enim in se bonus, Deo gratus, ad cultum ejus directus, est actus religionis: atqui tale est votum de re bona Deo factum, v. g., votum castitatis, votum obedientiæ. Hinc sequitur 1^o opus ex voto factum melius esse opere quod fit sine voto, siquidem propriæ bonitati jungit bonitatem voti; 2^o votum non vovendi esse nullum, quia non est per se de meliori bono; 3^o fideles non esse promiscue avertendos a votis, sed recte dirigendos ne imprudenter voveant, v. g., jejunia sanitati nocitura, eleemosynas facultatibus impropportionatas, itinera periculosa, ingressum religionis non sufficienter cognitæ, perpetuam castitatem in teneriori ætate et ante probationem sufficientem. Facilius permitti possunt vota ad tempus, v. g., obedientiæ vel castitatis ad annum, et actus earum virtutum eo ipso fiunt religiosi. Tota materia voti et præsertim voti meritum optime explicantur a *S. Th.*, 2 2, q. 88.

Petitur an peccet et quale admittat peccatum qui vellet non vovisse, quem pœnitet de voto.

R. Si ex pœnitentia non haberet intentionem implendi votum, aut si pœniteret implevisse in materia gravi, mortaliter peccaret, *ut patet*: si ita pœniteat ut in ipso remaneat voluntas adimplendi, vel nulla adest causa pœnitendi, et peccat venialiter propter quamdam ingratitude: vel adest causa pœnitendi, et nullum videtur esse peccatum, quia sicut poterat non vovere, sic non tenetur velle vovisse. Sic *S. Th.*, *Sylvius*, *Billuart*, *Dens*, etc.

SECTIO QUARTA.— De interpretatione voti.

Sicut in juramento sæpe aliqua interpretatione opus est

ut genuinus illius sensus assignetur, sic et in voto, quamvis eadem præcise admitti non debeant regulæ.

Hinc determinandum est an et quomodo obliget 1º votum dubium, 2º votum ex metu, 3º votum cum ignorantia emissum, 4º votum fictum, et 5º votum cujus objectum non est specialiter assignatum.

1º *Votum dubium.* Aliquis dubitare potest an votum emisit vel propositum formaverit, an cum sufficienti deliberatione emisit, an intentionem se obligandi habuerit, an votum certo emissum impleverit. 1º Qui, post adhibitam diligentiam, dubitat an votum emisit vel propositum formaverit, judicare potest se non teneri, tum quia votum non ita oblitus esset, tum quia in dubio odia restringi convenit, et melior est conditio possidentis. Ita *Suarez, Ferraris*, art. 1, num. 91, citans *Sporer* qui hanc opinionem tradit ut communem: ei tamen multi adversantur, præsertim in Gallia, ut *Habert, P. Antoine, Collet, Billuart, Dens*, etc. *Coll. Andeg.* vult ut in illo casu dispensatio petatur ad cautelam. 2º Qui, certus de emissionem voti, dubitat an usum rationis habuerit, si ante septennium voverit, præsumendum est illum non habuisse plenum rationis usum, et voto non obligari, quia ordinarie sic contingit; si post septennium voverit, præsumendum est, e contrario, sufficientem exstitisse deliberationem, quia ordinarie homo illius est capax ea ætate. Si vero dubitet an ante vel post septennium, aut post sufficientem rationis usum voverit, probabilius est eum voto teneri, quia de existentia voti constat et excusatio est dubia, et aliunde rarissime emittuntur vota ante septennium: ex communiter ergo contingentibus præsumendum est hoc votum post septennium et rationis usum fuisse emissum. Ita *Ferraris* et plures alii. Si vero dubitet an cum sufficienti deliberatione voverit, ob iram, terrorem, ebrietatem, semidormitionem, etc., probabilius voto tenetur, quia constat de voto, et de excusatione dubitatur. Sic adhuc *Ferraris*, n. 95. 3º Qui dubitat an habuerit intentionem se obligandi, vel se obligandi sub gravi, votum servare tenetur; nam qui serio profert verba

gravem obligationem exprimentia, eam contrahere censeatur, nisi contrarium ex speciali circumstantia manifestetur. Ita *Sanchez* cum pluribus aliis, *Sporer, Lacroix, Ferraris*, etc. 4º Qui votum certo emisit et dubitat an impleverit, adimplere tenetur, quia obligationi certæ non satisfit per solutionem dubiam. Sic *Ferraris*, art. 1, numero 101, dicens hanc sententiam esse communem.

2º *Votum ex metu.* Votum emitti potest ob metum proveniente ab intrinseco vel a causa necessaria, v. g., ex periculo mortis, naufragii, pestis, tonitruum, etc., vel ob metum proveniente a causa extrinseca et libera, quæ justa vel injusta esse potest. Si emittatur ob metum ex causa intrinseca, vel ex causa necessaria, aut ex causa libera sed justa proveniente, rationem non turbantem, et nullum jus obstat, validum est, quia voluntarium est et deliberatum: si vero emittatur ob metum injuste ad illud extorquendum incussum, censeatur invalidum, tum jure canonico, quia in *Decretal.*, l. 1, tit. 40, cap. 1 et seq., actus ex tali metu elicitur declarantur nulli; tum jure naturali, quia homo probus promissionem sic extortam non acceptaret: ergo nec Deus eam acceptat, alioquin daret vim injustæ coactioni: *Est sententia communis.*

3º *Votum ex errore.* Error vel ignorantia versari potest circa substantiam voti, v. g., si puella vovit ingressum in tale monasterium, putans esse Visitationis B. Mariæ, dum est Ursularum; vel circa circumstantiam ad substantiam pertinentem, v. g., si voverim peregrinationem ad domum Lauretanam, æstimans illam esse quadraginta leucis distantem, dum est trecentis; vel circa causam finalem, v. g., voveo pecuniæ summam ad talem usum, quæ tamen, si detur, ad alium convertetur, vel voveo eleemosynam tali pauperi, falso putans eum esse meum consanguineum: in his casibus votum est nullum, quia voluntas, quæ est principium obligationis, non fertur in incognitum. Si vero ignorantia versaretur tantum circa circumstantiam accidentalem, aut circa motivum impulsivum, obligationem voti non impediret.

4º *Votum fictum.* Qui exterius pronuntiat verba votum

experimentia, sine intentione se obligandi, reipsa non vovet, cum vinculum voti ab intentione pendeat. Qui vovet cum intentione se obligandi, et sine proposito implendi, mortaliter peccat in materia gravi, et ad votum tenetur, siquidem obligationem contraxit. Qui vovet cum animo promittendi et implendi, sine intentione se obligandi, ad votum non tenetur, quia revera obligationem sibi non imponit. Peccat tamen propter simulationem, sed ordinarie venialiter tantum, juxta communem sententiam, quia gravis non est irreverentia erga Deum, et homines graviter non lædit. Excipitur si hæc simulatio fieret in professione religiosa, propter gravem injuriam quæ irrogaretur monasterio et ipsi Ecclesiæ: unde persona quæ sic fecte vovisset, votum suum interius approbare teneretur, quia alia ipsi non suppeteret via scandalum impediendi.

5° *Votum cujus objectum non est specialiter assignatum.* Fieri potest ut materia voti sit vaga ac insufficienter determinata; tunc vera exquirenda est voventis intentio sive ex communi verborum sensu, sive ex speciali fine quem naturaliter intendere debuit, sive ex aliis circumstantiis: intentio semel cognita facit legem et ab ea recedere non licet. Si vero post adhibitam diligentiam remaneat dubium, vovens satisfaciet partem minus strictam sumendo, juxta axioma in jure canonico receptum: *Odia restringi convenit.* Est sententia communis.

Hinc 1° qui vovit religionem indeterminate, minus strictam eligere potest, et si in nulla moderata admittatur, strictissimam, v. g., Trappistarum, ingredi non tenetur. Item si admitti non posset nisi in ordine conversorum, vel in monasterio multum distante, ad votum non teneretur. 2° Qui determinatam vovit religionem, principaliter attendens vitam monasticam, et secundario ordinem, a voto non liberaretur, quia in eo ordine non fuisset receptus; serio petere deberet ut ad alium admitteretur: at si talem ordinem vel tale monasterium principaliter intendisset, serio petens et ab eo repulsus a voto liberatur. Ita *S. Th.*, 2 2, q. 88, art. 3, ad 2; *S. Antoninus, Layman, Sanchez,*

Suarez et multi alii. 3° Qui dubitat utrum ingressum in tale monasterium vovens intentionem habuerit in illo profitendi, an tantum se probandi et videndi an status religiosus sibi conveniret, præsumere potest se professionem absolute non intendisse, sed tantum ex hypothesi quod per tempus probationis agnosceret se ad hoc genus vitæ vocatum esse: unde si bona fide se probaverit, et agnoscat talem vitam sibi non convenire, voto satisfacit. Sic *Sanchez, Suarez, Sporer, Layman a Ferraris* citatus, art. 1, n. 77, et asserens hanc opinionem esse communem ac securam. Hoc igitur in eo casu datur discrimen inter eum qui ingressus est monasterium sine voto, et eum qui illud ingressus est cum voto, quod prior licite egredi possit sine causa, et non posterior. 4° Qui vovit rem indeterminatam, sive in quantitate, v. g., modium frumenti, non determinando mensuram; sive in qualitate, ut dare dolium vini, non decernendo cujus bonitatis; sive in individuo, v. g., dare ovem vel bovem aut equum, illum non speciatim designando, satisfacit voto donando in minori mensura, quantitate et qualitate, modo statui suo non sit indecens. 5° Qui vovit calicem, casulam, etc., votum non impleret dando calicem stanneum, vel vilem casulam lanæ; sed ex altera parte non tenetur dare calicem aureum, nec casulam pretiosam. 6° Qui vovit audire missam quotidie per mensem, duas missas diebus dominicis et festivis audire non tenetur: at si vovisset audire missam die Assumptionis, ad duas missas teneretur, nisi aliud intendisset.

SECTIO QUINTA. — De obligationis voti cessatione.

Obligatio voti, sicut juramenti, tolli potest per circumstantiarum mutationem, causæ finalis cessationem, remissionem, irritationem, dispensationem et commutationem, adde, et per solemnem religionis professionem. 1° *Per circumstantiarum mutationem*: nempe 1° si quod bonum erat factum fuerit malum, indifferens aut majoris boni impeditivum, siquidem votum essentialiter debet esse de meliori bono; 2° si res promissa facta fuerit physice vel

moraliter impossibilis, etiam ex culpa voventis, qui tum de peccato admissio dolere deberet, et tamen non teneretur ad votum, quia nemo ad impossibile obligatur: si ex parte tantum sit impossibilis, pars possibilis adimplenda est; et si duo occurrant vota incompatibilia, præstantius et Deo gratius adimplendum est; 3^o si tanta supervenerit mutatio in promittente, ut ipsius status sit moraliter diversus, obligatio voti non subsistit, saltem ea mutatione existente, quia vovens merito præsumitur non habuisse intentionem se in tali casu speciali obligandi. Unde qui vovit jejunare singulis diebus veneris, ad jejunium non tenetur in eo statu infirmitatis, laboris, itineris, senectutis superveniente, in quo a lege ecclesiastica excusaretur. Ita Sanchez, Ferraris, S. Ligorius, etc. Idem dicendum est si mutatio veniat in materia promissa, etiam a circumstantia extrinseca, v. g., si quis voverit jejunare singulis feriis sextis, et in una occurrat Nativitas Domini. S. Ligor., l. 3, n. 226, referens verba S. Th. dicentis, « id liberare a voti vel juramenti obligatione, quod si a principio notum fuisset, » ea fieri impediisset, » addit hanc sententiam sibi videri non minus probabilem, et forte probabilior altera tenente votum obligare, et dicente non esse attendendum ad quod vovens promisisset, sed ad quod revera promisit. Prior sententia nobis etiam videtur probabilior.

2^o *Per causæ finalis cessationem*: ubi enim totalis cessavit finis ad quem obtinendum factum fuerat votum, nulla est ratio cur votum subsistat. Hinc Anna vovit se a nuptiis abstenturam ut officia pietatis erga matrem facilius expleret; mortua matre, ad votum non tenetur.

3^o *Per remissionem*: si videlicet votum emissum fuerit in gratiam tertii, v. g., eum docendi, ei serviendi, hic tertius obligationem voti, sicut obligationem juramenti, remittere potest, propter eandem rationem.

4^o *Per irrationem*: non magis enim vovens quam jurans jura alterius potest alienare: qui ergo dominativam habet potestatem in personam voventem, vel in materiam voti, votum irritare potest pro suo arbitrio, etiam sine causa, licet tunc peccet. Ita omnes. Vide quæ diximus ubi de

irritatione juramenti. Hinc summus Pontifex directe potest irritare vota omnium religiosorum; episcopus vota religiosorum et monialium sibi subditorum; abbas, prior et probabiliter guardianus, vota religiosorum sibi subditorum; a fortiori generales ordinum et provinciales. Item abbatissæ et superiorissæ respectu suarum monialium. Ratio est quia hi omnes spiritualem habent potestatem dominativam, vi sui muneris, in hujusmodi personas, quæ ideo non censentur vovere, nisi sub tacita conditione, *si superior non contradixerit*. Unde hæc vota, si ex alia parte nihil ipsis desit, obligant donec irritentur, et vovens nihil facere debet ut irrationem procuret.

Pater et tutor directe irritare possunt vota impuberis, et etiam mater defectu patris.

Vota autem puberum irritare non possunt, nisi indirecte, quatenus scilicet materia ipsis subest, aut executio voti auctoritati eorum officeret. Unde filia-familias vovit peregrinationem, pater impedire potest; vovit castitatem, votum irritare non potest, quia jus non habet exigendi ut filia sua nubat. Idem de votis uxoris respectu mariti, et aliquoties mariti respectu uxoris, famulorum respectu dominorum, novitiorum respectu superiorum, etc.

Observandum vota *directe* irritata nunquam per se ipsa reviviscere, quia evadunt prorsus nulla; *indirecte* autem irritata, tantum suspenduntur, et de novo obligant, ubi materia desinit esse alteri subjecta, vel ubi ille cujus interest consentit.

5^o *Per dispensationem*. Dari in Ecclesia potestatem dispensandi a votis, iisdem probatur momentis quibus ostendimus existere potestatem relaxandi juramenta, et ipsius effectus est remittere, nomine Dei, promissionem ipsi factam: unde fit ut obligatio voti non amplius existat. Sola igitur persona ecclesiastica jurisdictione in foro externo fruens, hanc exercere potest facultatem, scilicet summus Pontifex in tota Ecclesia, episcopus in sua diocesi, vicarii capitulares sede vacante, et qui habent jurisdictionem quasi episcopalem, ut prælati regularium respectu subditorum; et, delegato jure, omnes quibus concessum est ab illis.

Ad validitatem dispensationis requiritur causa legitima, ut omnes fatentur; superiores enim ecclesiastici non habent facultatem dispensandi nisi ex concessione Dei: atqui repugnat Deum concessisse facultatem dispensandi sine causa, quia potius esset dissipatio quam dispensatio, et talis potestas data fuisset in destructionem et non in ædificationem, contra id quod dicit Apostolus, II Cor. x, 8. Unde inter irrationem et dispensationem hoc datur discrimen, quod irritatio fiat propria agentis auctoritate et valida sit sine causa, dum dispensatio fiat nomine alterius, et valere non possit nisi rationabilis sit causa.

Præcipuæ autem et rationabiles dispensandi causæ sunt: 1^o imperfecta deliberatio, si nempe votum factum fuerit in tenera ætate, præsertim ante pubertatem, in ira, in mœrore, in tristitia, cum metu vel alia mentis turbatione; 2^o damnum spirituale vel temporale ex voto proveniens, ut si quis, attentata sua fragilitate, timeat ne post votum castitatis in incontinentiam incidat, aut si ratio temporalis gravis momenti matrimonium ei suadeat, vel si scrupulis et anxietatibus animi torquendus sit; 3^o magna difficultas in executione voti non prævisa, vel etiam prævisa, quæ notabile inducit periculum transgressionis; 4^o bonum commune Ecclesiæ, reipublicæ vel etiam familiæ; nam, ut ait Innocentius III, in Decretal. l. 3, tit. 34, cap. 7, præcipue attendendum est in hoc negotio, « quid liceat » secundum æquitatem, quid deceat secundum honestatem, et quid expediat secundum utilitatem. »

Iusta interveniente causa, superior vel quivis facultate dispensandi præditus, graviter peccaret, si rogatus dispensare nollet; mortaliter etiam peccaret, si dispensationem sine rationabili causa scienter concederet: item et qui eam scienter peteret vel acceptaret. Dispensatio autem bona fide sine causa sufficienti concessa valida est, secundum Lessium, Sanchez, Sporer, Ferraris et alios plures; quia ad benignitatem Dei pertinet, inquirunt, approbare quod bona fide concessum et acceptum est, quamvis in se nullum. Negat S. Ligorius, cum aliis pluribus, valere; et hæc sententia probabilior nobis etiam videtur, quia certum est

dispensationem in votis sine causa ex se nullam esse, et ratio a patronis alterius sententiæ allata nullo fundamento nititur. Cæterum qui in bona fide dispensat vel dispensatione utitur, materialiter tantum peccat, et in dubio pro validitate dispensationis standum est, quia *odia restringi et favores ampliari convenit*. Ita S. Ligorius, qui ait dispensationem mala fide concessam valde probabiliter esse validam, si revera legitima adsit causa.

De votis summo Pontifici reservatis.

Ex Extrav. comm. l. 5, tit. 9, cap. 5, quinque vota summo Pontifici reservantur, nempe votum religionis stricte approbatæ, votum perpetuæ castitatis, votum peregrinationis Hierosolymitanæ, votum peregrinationis ad limina Apostolorum, et votum peregrinationis Compostellanæ ad S. Jacobum; et sub pœna excommunicationis prohibetur ne quis sine speciali Papæ licentia in aliquo eorum dispenset. Hæc reservatio in Gallia est recepta.

Cum autem sit odiosa, ut pote ordinariam episcoporum potestatem restringens, sensu stricto interpretanda est. Ita omnes. Unde intelligenda est tantum de votis proprie dictis, perfectis, determinatis, absolutis, et id præcise quoad substantiam, non vero quoad eorum circumstantias. Et si in aliquo deficiant, quamvis sint valida, non sunt reservata. Sic communiter doctores.

Hinc 1^o promissiones factæ B. Mariæ aut alicui Sancto, sine intentione se obligandi erga Deum vel de Deo minime cogitando, summo Pontifici non reservantur. Ita Ferraris, art. 3, n. 80, cum aliis. In dubio an ita votentes intentionem habuerint se obligandi Deo, an solum B. Mariæ aut tali Sancto, censentur verum emisisse votum Papæ reservatum, juxta eosdem auctores.

2^o Vota imperfecta, v. g., votum castitatis ad tempus, votum non nubendi, debitum non petendi, castitatem conjugalem non violandi, ab episcopo dispensabilia sunt; item votum perpetuæ castitatis, si, illo non obstante, matrimonium fuerit contractum, ut in *Supplem. ad Tract. de*